



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

170. An, & qualiter instituere competat capitulo, sede vacante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

tunt jure magistratus, sed aliqua possunt competere à lege citra imperium, & omnem jurisdictionem. Lott. *ibid.* n. 11. qui & n. 16. & seq. ait in hoc jus conferendi esse quid longè majus, & superare jus quodcumque eligendi, confirmandi, instituendi, quod non solum reputetur inter fructus Episcopales, sed & contineat meram gratiam seu potestatem gratificandi, dum jus instituendi, confirmandi sint de mera justitia, citat pro hoc Puteum *decis.* 396. n. 2. l. 1. in *novis.* Felin. in *c. cum olim.* n. 2. Bellam. *ubi antè.* Porro quomodo institutio auctorizabilis competat soli Episcopo, & ab eo auferri nequeat, vide Lott. l. 2. q. 12. & dicta à nobis supra.

Questio 170. An, & qualiter instituere competat capitulo sede vacante?

1. **R**espondeo: spectat ad capitulum sede vacante (seu ejus vicarium, Corrad. paulò post citandus) uti electos in beneficiis electivis confirmare, ita & presentatos instituere *c. 1. h. t.* instituere enim & confirmare minimè sunt libera, sed necessaria electo & presentato debita; unde etiam, ut Pirh. n. 5. h. t. per institutionem factam à capitulo sede vacante non creatur præjudicium Episcopo successori; utpote cui hac ratione nulla donationem seu liberalitatem exercendi auferretur occasio; dependetque potestas confirmandi & instituendi à jurisdictione; succedit autem capitulum Episcopo mortuo & sede vacante in omnia jurisdictionalia, maximè, quæ sunt jurisdictionis necessaria. Pirh. *loc. cit.* Corrad. in *pr. benef.* l. 2. c. 1. num. 78. & seq. Azor. p. 2. l. 6. c. 22. q. 3. Garc. p. 5. c. 7. n. 54. & c. Quale quid, cum non sit collatio, ut dictum, necessarium non est, quòd potestas conferendi beneficia, etsi eodem tempore cum jurisdictionalibus oriatur Episcopo, tamen unà cum jurisdictionalibus transeat in capitulum sede vacante. Lott. *loc. cit.* n. 13.

2. Censet tamen Lott. l. 2. q. 2. n. 34. quòd, dum institutio spectat ad Episcopum, & sunt plures presentati in concursu, ita ut sit locus gratificationi, collatio seu institutio tunc non transeat ad capitulum sede vacante: eò quòd licet tunc collatio non sit libera propter necessitatem providendi uni ex presentatis, lex tamen in individuo facultatem hanc gratificandi præservet Episcopo. in *c. cum autem de jure par.* Et sic electa censetur ad hoc industria persona Episcopi. An autem potestas faciendi alias collationes necessarias beneficiorum transeat quoque ad capitulum, dicitur, ubi agemus de collatione. Vide tantisper Lott. *loc. cit.* n. 23. & Garc. à n. 55.

Questio 171. An, & qualiter instituere competat Vicario generali Episcopi?

1. **R**espondeo: etiam si is jus non habeat conferendi beneficia sine speciali mandato Episcopi. *c. fin. de off. vic. in 6.* (de quo vide tantisper Garc. n. 81. & Laym. paulò post cit.) potest tamen ratione officii generatim commissi expedire ea, quæ sunt justitiæ & necessitatis, adeoque potest canonicè electos confirmare, & à patronis presentatos instituere absque speciali commissione, argumento *c. ex frequentibus. h. t.* Azor. p. 2. l. 6. c. 22. q. 3. Laym. *ad c. cum in generali. de off. vicar. n. 9.* citans Pirh. l. 7. q. 24. n. 27. Bertachinum. *de Episcopis* l. 4. p. 7. q. 16. & plures alios. Garc. p. 5. c. 8. num. 84. & seq. citans Zerol. l. 3. var. c. 9. num. 7. Quintadven. l. 1. *Ecclesiastic.* c. 5. n. 7. pluresque alios, & insuper declarat S. Congreg. concil. de anno 1593. quam dicit habuisse se au-

thenticam, additque Garc. n. 88. idem procederet, dum esset locus gratificationi inter plures presentatos æque idoneos, citatque pro hac *decis.* Rotæ.

2. Idem quod hac in parte dicitur de vicario generali Episcopi, locum habet in vicario capituli sede vacante, ut Corrad. supra; cum eo ipso, quòd is eligatur à capitulo, transeat in eum tota jurisdictione competens ipsi capitulo sede vacante. Unde nec videtur ad instituendum necessaria aliqua specialis commissio. Garc. p. 5. c. 7. n. 28. quamvis si de facto capitulum det vicario à se electo limitatum mandatum, reservando sibi aliqua, non videatur vicarius posse exercere potestatem in illis, quæ sibi capitulum reservavit, ut Garc. *ibid.* n. 30. & seq. citans Sua. To. 5. d. 7. f. 3. n. 13. Guttier. & c. contra Ugolin. qui vult, non pendere talem vicarium omnino ab auctoritate capituli, cum datus sit auctoritate Trident. quod Suar. *loc. cit.* refutat.

3. Denique potest quoque fieri institutio presentati, etiam per vicarium foraneum Episcopi in loco diocesis deputatum, si ex vi suæ deputationis ibi exerceat jurisdictionem; siquidem presentatio etiam facta coram vicario foraneo tribuit jus; & quia talis vicarius jurisdictionem habet in illo loco, ibi facere poterit omnia, quæ Vicarius generalis totius diocesis. Corrad. l. 4. c. 7. n. 26. citans Rot. in *una agrigent. beneficii* 12. Nov. 1601. & Garc. p. 6. c. 2. n. 127.

Questio 172. An, & qualiter jus instituendi competat aliis Episcopo inferioribus?

1. **R**espondeo: clericis aliis Episcopo inferioribus jus instituendi, etsi non competat de jure communi, competere tamen potest de jure vel causa speciali, puta ex fundatione, donatione, privilegio, prescriptione, consuetudine, statuto, & c. Corrad. l. 4. c. 7. n. 2. Balxus *ro. 2. v. benef.* §. 5. n. 12. Pirh. h. t. n. 6. Card. de Luc. *de jurep. d. l. 4. n. 32.* citans Barb. *de post. Ep. alleg.* 72. n. 176. Lott. 62. q. 12. Azor. *cit. c. 22. q. 3.* Et hoc extendendum etiam ad beneficia curata, ut Laym. *ad c. cum satis. de off. Archid.* Sic itaque competere potest ex fundatione, dum fundatur beneficium eà conditione adjecta ex consensu Episcopi, ut institutio illius sit penes Decanum, Præpositum certæ Ecclesiæ, vel Archidiaconum, & c. Vel penes certum conventum clericorum, vel Universitatem scholasticorum. Auctores iidem, vel etiam ad simplicem canonicum, vel prælatum, etiam regularem; quamvis agatur etiam de beneficio seculari. Card. de Luc. *loc. cit.* Quod attinet ad concilium Trident. *sess.* 14. c. 12. dicens: in casu fundationis aut donationis hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur, ait Card. de Luca. *ad Trident.* d. 11. n. 27. Concilium non alterasse per hæc legem particularem fundationis aut consuetudinariam, seu privilegiam instituendi potestatem. In declarationibus etiam S. Concilii apud Galliam. ad dictum locum dicitur: in Ecclesiis, exemptis non potest reservari institutio alteri, quam Episcopo, nisi rector illius loci fuerit ordinarius, ordinariusque fungatur jurisdictione; neque vicarius Episcopi potest sede vacante instituere presentatum à præsentis patronis.

2. Nihilominus Corrad. l. 4. c. 3. n. 27. inquit: licet fundator de consensu Ordinarii possit in limine fundationis apponere quascumque condiciones, etiam contra jus; post Trident. tamen expressè prohibens reservari inferiori Episcopo hanc facultatem instituendi, non potest, etiam cum consensu Ordinarii, dicta facultas inferiori reservari, quamvis non-